29,808/B/1


L XVI. Qui

DISSERTATIO MEDICA DE CORTICE PERUVIANO

AUTHORE

JOS. AUGUST. DE CAPELL

BOHEMO PRAGENSI,



VIENNÆ,

TYPIS, IOAN. THOM. DE TRATTNERN,

SAC. CÆS. REG. APOST. MAI. TYPOGR. ET BIBLIOP.

1766.

Digitized by the Internet Archive
in 2019 with funding from
Wellcome Library

https://archive.org/details/b30545080

ORIGO, PROGRESSUS, FATA CORTICIS.

I.

CORTEX PERUVIANUS præter alia nomina CHINA CHINÆ, PULVIS FEBRIFUGUS, QUINQUINA, Salutatus, patriam ſuam debet REGNO QUITENSI, aut potius monti CAJANUMÆ.

II. Per octoginta annorum circiter ſpatium, licet quotidie manibus tractaretur, omnes tamen MEDICOS, quæ genuina ejus deſcriptio ſit, fugiebat. Nec mirum inde, ſi illum hi AGERATUM ARBOREUM PERUVIANUM lato folio, iſti SENECIONIS ARBORESCENTIS ſpeciem voluére.

III. Circa an. milleſimum ſeptingenteſimum trigeſimum octavum tandem D. DE LA CONDAMINE ulteriori huic dubitationi in has re-

giones, ex quibus deſumitur profectus, finem impoſuit, præclariſſimeque in *Actis Academiæ Pariſinæ* triplicem ſpeciem, natale ſolum, cum nitidiſſima PLANTÆ figura eruditæ poſteritati reliquit.

IV. Remedium hoc dudum Peruvianis ante adventum Hiſpanorum, quantum ex hiſtoria Regni patet, per leones, quoniam hos a ſpecie quadam *febris intermittentis* illius eſu curatos divinavere incolæ, detectum, quin iis jam appulſis ob dirum ſervitutis jugum longiori adhuc temporis intervallo ſilentio preſſum fuit, usque dum Pro-Regis Hiſpaniæ, Comitis nempe DEL CINCHON uxor *a febri* per CORTICEM in Urbe LIMENSI liberata anſam detegendo medicamento feciſſet.

V. Nomine igitur continuo, PULVIS COMITISSÆ, accepto in Hiſpaniam, brevi poſt, Romam, Cardinali DE LUGO ex Hiſpanorum proſapia oriundo miſſus eſt.

VI. Ibi prius a purpurato hoc Antiſtite dein a cæteris per religionem ſibi quondam junctis e Societate JESU Patribus, in Collegio Romano, novo iterum titulo, PULVIS PATRUM, PULVIS CARDINALIS DE LUGO, nominatus, pauperibus gratis diſtribuebatur.

VII.

VII. Vix autem ſaluberrimo ſuo effectu multis in Europæ locis inclaruit, triſtia fata uti omnia recens inventa, & noſtra Medicina ſubire debuit. Alii enim auri ſacra fame accenſi, ne ſibi optima diteſcendi occaſio, ſi hunc occulte arcani titulo venderent, elaberetur, publice fictis undecunque rationum titulis, ut remedio apud vulgus famam inurerent, debachari cœperunt.

VIII. Alii immaturo judicio abrepti, quales quales eventus, quos poſt *febres* curatas ſecutos viderunt, cauſam rei non perquirentes CORTICI illico adjudicarunt.

IX. Tot proinde calumniis innocenter laceſſitus & apud illos, qui ab ejus uſu, attamen imprudenti, triſtes quosdam caſus ſe obſervaſſe aſſeruerunt, & apud eos, quos timor talia obſervare nondum admiſit, tantam infamiæ notam contraxit, ut per longiſſimam hominum memoriam omni omnino Medicæ formulæ valedicere, quin plane ipſis ex officinis, quamvis aliis prope inutilibus remediis locus concederetur, ſummo cum ægrorum detrimento, exulare debuerit, & exeſſe.

X. Sic per plures hactenus annos ſepultus jacuit, donec rurſus a perſpicacioribus,

 bus,

bus, & ad incrementum Artis Apollineæ unice attentis MEDICIS luci redditus fuerit. Videbant quippe ii Cachexias, Hydropes, tumores pedum, languores, & alia mala chronica, quæ a cæteris noſtro MEDICAMENTO adſcribebantur, jam pridem in veterum ſcriptis relicta, & ante cognitum illius uſum *Febres* ſæpius ſecuta fuiſſe.

XI. Alium ergo anguem ſub herba latitantem ſuſpicati, tempus, modum, circumſtantias, in quibus hucusque adhibitus eſt, penitius rimabantur, atque inde omnes hos, pluresque alios morbos emanaſſe ſapientiſſimi illi, & acutiſſimi Viri meridiana luce clarius illico perſpiciebant.

XII. Hinc regulas quasdam actutum enumerandas, queis obſervatis ne unicum quidem triſte exemplum iis videre poſtea contigit, condere cœperunt.

REGULÆ IN EXHIBITIONE CORTICIS OBSERVANDÆ.

XIII. Demonſtraverat quidem ILLUSTRISSIMUS NOSTER PRÆSES, prout in Tom. II. Commentarior. ſuorum *ad Apho. Boerha.* 767. legitur, facto in ſe ipſo experimento COR-

TI-

ticem peruvianum ne minimam quidem in corpore ſano mutationem generare. At oſtenderat ſimul loco paululum ſuperiori, eundem, *uti optima quævis, imprudenti uſu nocere poſſe.* Opus idcirco fore exiſtimat, ut prius ſevero examine inquiratur, an *Febris* cito & tuto tolli valeat. Et profecto; ſi ab ea quidpiam utilitatis, ſeu in tollendis malis Chronicis, uti *Epilepſia*, *Podagra* &c. ſeu in diſponendo ad firmam, & longævam valetudinem corpore, expectetur: quis obſecro eundem propinari autumet? Attamen ſi per *Febrim* diutius relictam morbi longiores, vel aliud malorum genus oriretur, quivis, ut opinor, ad Quinquinam, veluti ſacram anchoram, cum Mortono, Sydenhamo, aliisque clariſſimis confugiet.

XIV. Sciendum igitur eſt, non in primis ſtatim paroxyſmis, ſi *Febris* benigna ſit, ſponteque ſolvenda, nec periculoſis adeo ſtipata Symptomatibus v. g. *Pleuritidis*, *Apoplexiæ* &c. ut mortem præ foribus præſtoleris, *Corticem* eſſe propinandum.

XV. Quodſi præterea leviſſima *Scirrhi*, obſtructionis alterius, aut inflammationis ſuſpicio habeatur, quemadmodum in *Febribus autumnalibus* duplicatis poſt calidiſſimas æſta-

tes graſſantibus, ubi humores noſtri ita inſpiſſantur, ut per anguſtas Hepatis vias, aliaque viſcera fluere minime valentes, eadem obſtruant, contingere ſolet; decocto potius ſolventiſſimo, & aperienti, ex herbis *Cichoreo*, *Taraxaco*, *rad. Graminis* &c. niſi ferocitas febrilis, ingens debilitas ex decrepita ſenectute, morbi longitudine, teneritudine ſubjecti, intempeſtiva, ingentique evacuatione etiam in *Vernalibus* obſervata, ſeu per ſudorem, alvum, aut reliquas vias ea fiat, ægrotantes nimium frangat, vel alia gravia ſymptomata morbum diuturniorem reddentia corticem expetant, corpus erit implendum.

XVI. Singulare etiam quandoque *Epidemiæ* ingenium cautiores eſſe Medicos exigit, ubi ne a limite quidem, ſive noſtrum pulverem, ſive ejus præparata ſalutare audemus.

XVII. In *Febribus* acutis continuis peculiari morbi malignitate orbatis *non alios effectus ex ejus uſu expectare licet, quam eos, quos hodie in Pleuritide, Peripneumonia, Angina, ac id genus Febribus inflammatoriis videmus, quibus non tantum non prodeſt, ſed & plane obeſt.* SYDENHAM.

XVIII.

XVIII. *In tabidis ſæpe obſervatur Febris quotidiana, quandoque omnino intermittens, aliquando remittens tantum, quæ a pure quotidie facto, & deinde per ſputa educendo naſci videtur. Per talem Febrim fit hujus puris concoctio; quæ ſi Cortice peruviano dato tollatur, peſſime ſemper ſe habent tales ægri, & ſummam patiuntur anxietatem; adeoque ſi vel minima ſuſpicio collecti alicubi puris adſit, a Corticis uſu abſtinendum omnino eſt.* L. B. van Swieten. Tom. 2. p. 564.

XIX. Alia tamen in *Febribus* hecticis inſtituta experimenta eum hinc inde profuiſſe oſtenderunt, cum quibus ad ſequentes numeros, ubi varia ejus diverſis in morbis utilitas fuſius erit expendenda, tranſibimus.

VARIIS IN MORBIS CORTICIS UTILITAS.

XX. Viſis jam iis, in quibus Cortex adhiberi non queat obſtaculis, nunc eos, quos curare tuto valet morbos, oſtendemus. Ab ipſis autem *Febribus* ordo poſtulat, ut inchoemus.

XXI. Per annoſam ſatis praxim obſervatum eſt ab omnibus hucusque nobilioribus

Medicis, CORTICEM PERUVIANUM præcipue in *Intermittentibus*, & *Continuis*, *Remittentibus*, ſub conditionibus (N. 13. 14. 15.) recenſitis exhibitum, ſpecificam, & maximam virtutem exercuiſſe. Licet illius in Febres agendi modum in hæc usque tempora ignoremus.

XXII. Non exiguam quoque laudem meruit, ubicunque *Febres* ſive anomala ſymptomata (14.) ſive malignitatem non modo in *Acutis*, ſed etiam *Chronicis* affectarent. Quod Eruditiſſimus FRAN. TORTI Mutinenſis Profeſſor in tractatu ſuo de *febribus*, poſtquam plures ægrotos *Febribus Algidis*, & *Syncopalibus*, ubi cum pulſu admodum debili, frigore in univerſo corpore, vix quædam ſigna vitalitatis percipiebat, laborantes curaret; hisce verbis clariſſime confirmavit: *Si Febris intermittens orta, ſtatim ſubcontinua reddita, ab exordio ſuo habeat Symptoma aliquod lethale, puta Lethargum, Syncopem, Cardialgiam &c. ſtatim Cortex porrigendus eſt, ne occaſio tollatur cito labilis.*

XXIII. Obaudire & noſtro remedio videtur *Febris* illa ἡμιτριταίη, cujus Clariſſimus Profeſſor DE HAEN in ratione ſua medendi Tom. II. meminit; quæ tantam quandoque

mu-

mutationem inducit, ut ægrum in vitæ diſcrimen conjiciat, atque intra dies quatuordecim ſæpius, niſi circa octavum id propinetur, miſeros fatis cedere cogat.

XXIV. Incomparabile etiam ſibi egregii in *Malignarum* debilitate cardiaci nomen comparavit: quin in ſumma in - & externa *Febrium ardentium* corruptione, ut inimitabile Alexipharmacum apud HUXHAMUM obtinuit.

XXV. Effecit quoque CORTEX, prout in Noſocomio noſtro vidimus, ut conclamatus in malignis cruentus mictus cum alvo ſanguinea ſanaretur, Parotides *Febribus* ſupervenientes cum aliis criticis evacuationibus non retrocederent, coctio morbi promoveretur, *Febrium* æſtus compeſcerentur, iterum debiliores velut Bezoardico excitarentur, totum imo periculum, quod ante, poſt, vel cum ipſa Exanthematum eruptione quorumcumque, ſive *Variolæ*, ſive *Petechiæ* nigræ fuerint, imminebat, propulſaretur.

XXVI. Sermone quodam (N. 19.) de CORTICIS utilitate in *Febribus hecticis* facto, opus eſſe duxi, paucis ea, quæ ibidem aſſeruimus, quorundam exemplis confirmare.

Puel-

generis morbi, & dolores, ut in *Arthritide*, ſtatis temporibus redeuntes non ſemel *Divina* hac *Antidoto* profligati, teſtari ſatis poterunt.

XXXII. Quid tandem de inſigni ejus virtute roborante dicam? qua omnes a laxa ſolidorum cohæſione pendentes morbos curat. Paucos ex infinitis recenſere libet: *Diarrhæas*, *Diſſenterias*, *fluorem album uterinum* ſiſtit. Ad gr. XX. quotidie mane; & ſero per ſeptimanas aſſumptus corporis debilitatem eximium in modum firmat. Affectionibus *Hypochondriacis*, quæ a vitiata digeſtione, quatenus infirmas ventriculi vires reſtaurat, ac inde habitum corporis firmiorem reddit, tono viſcerum, infimi præſertim ventris, reſtituto, medetur. Gravidis ex debilitate nimia corporis aut ἐυμεταβλεσίας ſpirituum ægrotantibus ſummum ſolamen adfert. In caſibus denique *Scrophuloſis* ad reſolvendos ex laxitate colli, Parotidis, aliarumque glandularum tumores, inveteratis *Ophthalmiis*, *Incontinentia Urinæ*, *Iſchuria paralytica*, *Podagra*, *Anglicana* conſumptione, ubi nimia humorum peccat fluiditas, multum adjumenti tuliſſe varii reliquerunt.

XXXIII. Quantum aliis in morbis Cortex effecturus ſit, indefeſſa noſtrorum Profeſſorum, aliorumque perſpicaciſſimorum Virorum induſtria, quæ cum in plurimis rurſus oſſium morbis, ut *ſpina*, *ventoſa*, *carie*, egregios ejus aperuit ſucceſſus, utique porro inquiret.

XXXIV. Supereſt, ut methodum, variasque in recenſitis morbis illum exhibendi formas ſequentibus adhuc numeris oſtendamus.

METHODUS EXHIBENDI ET PRÆPARANDI CORTICEM.

XXXV. Antequam pluribus de exhibitione, & præparatione Corticis diſſeramus, genuina illa criteria, quæ verum a falſo diſtinguunt, in medium proferre oportet.

XXXVI. *Quinquinæ e regno Peruviano ad nos advectus Cortex aridus, unam duasve lineas craſſus, foris ſcaber, ferrugineus, & nonnihil caneſcens, intus levis, rufeſcens Cinnamoni colore viſitur.* Cl. Crantz.

Odor peculiari modo mucidus, attamen ſuavis, gratus ac aromaticus, dentibus contritus, vel quocunque alio modo fractus, friabilis

Puellam inter cæteros ægrotos rachiticam, & *Febre hectica* conſumptam, cujus hiſtoriam fuſius in Tom. III. ration. med. C. 5. videre poſſumus, æternum venerandus Profeſſor meus HAENIUS cum omnium admiratione priſtinæ ſanitati reſtituit.

Nobiliſſimam quandam matronam tabidam, & gravidam ad felicem partum ſua opera perductam refert TORTI p. 692.

Idem alibi dicit ſe puero tabido, ſpinaque ventoſa laboranti CORTICEM PERUVIANUM præſcripſiſſe, quem poſtea adeo carnoſum, & validum, ut vix dignoſceretur, conſpexit.

Ipſe ILLUSTRISS. *Aphoris. Boerha.* COMMENTATOR Tom. IV. *de Phthyſi pulmali* agens fatetur a ſe *hoc Medicamento* ſummæ proſapiæ Virginem *Febre lenta* emaciatam, licet purulenta expueret, ipſaque thoracis conſtitutio ſatis vitioſa eſſet, curatam fuiſſe.

XXVII. Patet ergo ex his denuo CORTICEM æque hic inſignem, licet alias contrarios quandoque effectus obſervemus, utilitatem afferre poſſe, nec proinde a curatione *Febrium hecticarum* eſſe ſecludendum.

XXVIII. In *Gangræna*, & *ſphacelo* iterum ſpecificus, tam interne, quam externe mini-

miniſtratur. In *Angina* vero *gangrænoſa*, & *Gangræna ſicca* ſic dicta dubitat profuiſſe Celeberrimus noſter Mat. Med. Præceptor de Crantz.

XXIX. Alias etiam experimenta Clariſs. Prof. de Haen, & doctiſſimi Medici Dietrichs facta in Gancro Corticem quidpiam boni attuliſſe evicerunt.

XXX. In *Ulceribus* peſſimis κακοήθη decoctum ejus fomentorum ſpecie appoſitum egregios etiam effectus præſtitit: ad *Ulcera* tamen *Scorbutica*, & *Venerea* viſus eſt obfuiſſe. Cum Sydenhamo teſte in *Scorbuto* & *Rheumatiſmo* interne aſſumptus ſemper nocuerit, quin imo ægri ex longiori ejus uſu in hos morbos antiſcorbuticis tamen facile curabiles inciderint. Nolim vero propterea, ut quis credat ſcorbuticum *Gangræna* affectum non eandem plane, ac alii, a *Medicamento* noſtro medelam, ſi cum interpolato Antiſcorbuticorum uſu adhibeatur, expectandam habere.

XXXI. Quale in nervos illius ſit imperium: *Epilepſia*, *Hemicrania*, *Clavus hyſtericus*, *Aſthma* præſertim convulſivum, *Præocatio hyſterica*, *ſpaſmodici*, uteri, ventriculi, inteſtinorum, *motus*, reliquique hujus

ge-

lis eſt, non viſcidus, nec glutinoſus. MORTON.

Optimus ille, *qui ex ramulis denſus, gravis, a ligno repurgatus, fractu ſplendens, piſtilli ictibus volatilis reddendus, in decoctione ſpumeſcens, & ora vaſis tranſcendens habetur.* PROF. CRANTZ.

XXXVII. Quod ad modum præparandi attinet, non eſt, quod diu moremur; cum forma pulveris, ſi bonus ſit, dictasque (36.) virtutes poſſideat, actionem ſuam optime abſolviſſe ab omnibus hucusque MEDICIS fuerit deprehenſus. Dividitur autem Unc. j. vel plures in partes duodecim æquales, quarum ſingulæ tempore *ἀπυρεξίας* omni hora, bihorio, aut quadrihorio, prout paroxyſmi a ſe invicem magis diſtant, exhibendæ erunt, ita ut ad ſequentem usque invaſionem tota omnino uncia abſumatur. Doſim hanc plerumque SYDENHAMUS in *Quartanis* obſervaverat. Vidit autem is, ſe in reliquis non ſemper uncia integra indiguiſſe, quodſi tamen *Febris* ad *continuas* magis acceſſerat, etiam unc. ij. exhibebat. Infantes vero pro ratione ætatis Drach. j. ij. iij. jv. methodo pariter, ut in adultis, porrigenda indigebant.

XXXVIII. Non autem ad hanc doſim, nec ad eum exhibendi modum in aliis morbis

bis attendendum eſt, in quibus pro neceſſitate rei etiam quandoque Unc. ij. iij. Nychthemeri ſpatio abſumi debent. Quale exemplum in *Gangræna* & *Sphacelo* in Tom. VII. rat. med. videre poſſumus, ubi ſpatio ſeptem menſium & medii quidam ægrorum 52. libras Corticis cum 7. Unc. extracti ad ſui curationem in- & externe indiguerat.

XXXIX. In *Febribus* illis, quæ geminatis, & productis paroxyſmis, ex quorum numero *Hemitritææ* (23.) ægros adoriuntur, nullumque perfectum intervallum *Febris* adeſt, remiſſionis ſolum tempore, ni emolumenti loco ſummum habere velis periculum, medicina noſtra erit propinanda.

XL. Formam alii ſine ratione mutant, & oppoſitæ indolis alia, non æque felici ſemper cum ſucceſſu commiſcent. Siquidem ſolus ſi indicetur, *Febribus* debellandis ſufficiat. L. B. van Swieten.

XLI. Quodſi tamen *Febres*, Spaſmodicæ contractiones, vel nimia nervorum mobilitas comitentur, optime Cortici opium admiſcetur. Nec minus ſi ab ejus uſu ob ſic vocatam Idioſyncraſiam tanquam a Cathartico fortiori aſſumpto æger violenter expurgetur, pulviſque juſto citius per alvum, prius

quam ſuo fungatur munere, expellatur, cum SYDENHAMO Laudani gut. X. inſtillari vino poterunt, & poſt alteram doſim aſſumi, modo *Diarrhœa* perſtiterit.

XLII. Salium vero additamenta ſupervacanea aliis cenſentur. Interim ſal Ammoniacus bono cum effectu ſæpius a Practicis ubi obſtructionem quandam metuebant cum cortice ingerebatur.

XLIII. Sæpius contingere ſolet, ut æger pulverem aſſumere recuſet. Quod ſi fiat, poterunt cum melle, vel ſyrupo alio gratiori boli ex Unc. j. pariter XII. vel Electuarium ad nucis Moſchatæ magnitudinem omni hora, vel bihoro pulverum inſtar ſumendum præparari.

XLIV. Delicatioribus vina medicata in eundem ſcopum additis aliis, ut nauſeoſus CORTICIS ſapor corrigatur, dari poterunt. v. g. ℞: *Rad. Angel. Gentian.* $\overline{aa}$ *Unc.* ß *Cort. peruv. Unc. j. Concis. infund. in ſ. q. vini, ſtet in digeſt. per. VI. horas. Colaturæ libræ j.* ß *adde ſyr. V. aperient. Cinnam.* $\overline{aa}$ *Unc. j. dentur tempore apyrexiæ omni hora, vel bihorio Unc. ij.*

XLV. Poteſt etiam pro infantibus ſequens parari Syrupus. ℞. *Chinæ Chinæ in tenuiſſi-*

mum

mum pulverem redactæ Unc. j. irroretur ſpirit. vini, quousque humeſcat tota, mox infundatur in Unc. XVI. vini albi generoſi, digeratur in B. M. tepido per biduum, vel triduum, agitando vas pluries in die, dein facta per linteum valde rarum colatura cum forti expreſſione, ut portio ſaltem tenuior ſubſtantiæ Corticis trajiciatur: adde ſacchari albi clarificati Unc. viij., & in vaſe fictili coquatur lento igne ad conſiſtentiam Syrupi. doſ. Unc. j. β, ij., & ultra, ſi lubeat. Torti.

XLVI. Cæteroquin cum aqua decoqui poteſt, idque per bihorium. Doſis autem tunc dupla Unc. nimirum ij. ad *Febrim* fugandam requiruntur. Cum vero decoctum ob ſaporem amarum, & ingratum paſſim diſpliceat, Syrupi, ut vinis (44.) grati, & redolentes addi poterunt. Solent & ſales alcalini ad dr. β ut color coccineus, & limpidus turbido noſtro decocto concilietur, injici; quæ tamen, uti & alia ſimilia frequentiſſime, ſive ad gratiam, ſive ad tegendum Corticem, ne forte vano timore perculſi ægri ſupervenientes quondam morbos innocuo huic remedio adſcribant, admixta ſæpe, ut vina, ob ſtimulum ſuum neutiquam conveniunt.

XLVII. Extractum præſcriptis á Clariſſimo & Expertiſſimo Chemiæ Profeſſore LAUGIER paratum cautelis commodiſſime in pillulas vel mixturam ad easdem indicationes minori ſub volumine miniſtrari poteſt. Quod, ſi in *Machina Papiniana*, quemadmodum is ſæpius in Collegiis ſuis propoſuerat, pararetur, utique majorem virtutem obtineret.

XLVIII. Non ſolum per os, verum & per Epithemata, Clyſmata, duplam tamen, vel triplam CORTICIS quantitatem in ſe habentia, nec colata, curatio quandoque integra in iis, qui omnem medicinam reſpuebant, abſoluta eſt. Notari autem debet, tunc uno, alterove Enemate e melle, vel ſale gemmæ, aut ſapone lotricum confecto inteſtina everrenda prius eſſe, neque clyſmata illa e CORTICE Unc. v. vj. in adulto, in infantibus ij. j. excedere debere.

XLIX. In GANGRÆNA præter internum ejus uſum, externe fomenta ex Unc. jv. pulv. bihorio cum libra j. aquæ coctis parata, & pulverem in ſphacelatas partes inſperſum, cumque digeſtivo mixtum, optimo cum ſucceſſu adhibuit CL. DE HAEN.

L. Purgatio vero, Emeſis, aut venæ ſectio, niſi evidens indicatio exigat, num-

quam

quam ante aſſumptionem Corticis eſt inſtituenda. Sydenham.

LI. Nec opus eſt, ut æger aſſumpto pharmaco, quemadmodum in ſchedula Romana præſcribebatur, lectum petat. Cortex enim in *aere aprico verſantibus atque ſolitis muniis fungentibus propinatus ſcopum tam certo attingit, quam ſi patiens intra lecti cancellos incarceraretur &c.* Morton.

LII. Si poſt Unc. j. Corticis aſſumptam ceſſaret quidem *Febris*, verum ægri languerent, de pondere circa præcordia conquererentur, urina icteritium colorem referret, aut adnata oculorum flaveſcere inciperet, illico ſolventiſſimis remediis pugnandum eſſet. Peſſime enim tunc ceſſiſſe vidit ægris illis Ill. Præses, quibus in tali caſu corticis uſus prolongabatur. Quod & de iis intelligendum voluit *Febribus* Mortonus, quæ abſque omnibus illis ſignis poſt longiorem tamen noſtri Pharmaci aſſumptionem nondum ægros deſeruerunt.

LIII. Optime præterea fugata quamvis belliſſime *Febre* longior Corticis uſus ob metum recidivæ cum Mortono, licet jam minori doſi, commendari debet. *Quocirca*, ait ille, *Febre prius Cortice fugata ego prophylaxeos gratia, ut*

Me-

Medicum decet, ſolennem ejusdem repetitionem, poſt intervallum octo vel decem dierum bis, terve imperare ſoleo &c. Quo tempore neque Catharticum, neque Enema, neque auræ frigidioris uſus, quoniam ab his *Febres* rediiſſe viſum eſt, erunt admittenda.

LIV. Ultimo Regimen ſeu diæta ſub Corticis exhibitione obſervata, nam in aliis morbis præter edulia quædam directe illis oppoſita nil conſiderandum, addenda erat.

Quam nec hic adeo exacte requiri perhibet Sydenhamus; niſi quod Eupeptos ſolum & Euchymos cibos, quia per *Febrium* prægreſſam vim digeſtio debilitabatur, commendaverit, paucaque adhuc, fructus ſcilicet horarios, liquores, & auram frigidiorem cum longiori ſub ſtragulis cubatione, ſiquidem cum Mortono difficilius curari *intermittentes*, ſi lecto jugiter afficerentur, videret, ægris ſuis interdixerit.

F I N I S.